

Conclusio octaua. Regimen eius fiet cum audacia forti, sine timore. Nam Saturnus est in exaltatione Martis, præterea Luminaria in domibus Martis.

Conclusio nona. Prælia etiam acturum, in quibus hostes regni sui deuincet fortitudine, atq; sagacitate, concluditur, quia pars regni in sexta Leonis coniuncta est Marti, & irradiata trino radio Solis domini sui.

Conclusio decima. In imperium etiam & regni sublimitatem uenturum, trahitur ex eo, quod natiuitas sua plurimum conuenit cum esse circuli, hora coronationis patris eius. Nam locus Solis in utrisq; idem est. Similiter loca Veneris & Mercurij. Deniq; ascendens huius nati cum ascendente natiuitatis matris eius concors est.

Conclusio undecima. Altitudinem etiam, & bonam famam nati, indicant, Iupiter, & Luna sextiliter se aspicientes.

Conclusio duodecima. Raro stabit in ocio, sed frequens erit in negotio. Nam Iupiter dominus partis operis est in ascendente.

Conclusio decima tertia. Bonum statum, ualitudinem, & honorem, Dodecatemorion Solis in domo eiusdem & trino radio pollicetur.

Conclusio decima quarta. Quasdam tamen anxietates ei minatur Dodecatemorion Saturni in domo Martis.

## CAPVT DVODECIMVM.

## De Coniugijs.



**I**N Matrimonio masculorum considera quam quartam Luna occupet. Si quartam orientalem occupauerit, natus in iuuentute matrimonium contrahet, uel post suorum annorum plenitudinem iuenculam ducet in uxorem. Quartæ orientales sunt Duodecima, Undecima, Decima, Sexta, Quinta, Quarta domus figuræ cœlestis. Sed quartæ orientales secundum mundum sunt à coniunctione Solis & Lunæ, usq; ad eius oppositionem. Si igitur Luna quartam occidentalem possederit, tarde uxorabitur, uel copulabitur cū uetula in sua iuuentute, aut eius coniugium prolongabitur, donec procedat in dies, & postea copulabitur cum quauis, uetula uel puella. Quartæ occidentales sunt nona, octaua, septima, tertia, secunda, prima domus figuræ cœlestis. Sed quartæ occidentales secundum mundum sunt ab oppositione Solis & Lunæ usq; ad eorum coniunctionem.

Luna si in unius figuræ signo fuerit, uel si ad unum solum planetam applicuerit, unī soli copulabitur. Si in signo duorum corporum uel multarum figurarum permanferit, uel pluribus planetis aspectu uel coniunctione applicuerit, pluribus copulabitur.

Cum Luna fuerit in signo conuenienti, uel in dignitatibus suis, habens conuenientiam cū fortunis ex quocunq; aspectu, eius sponsæ conuenientes erunt & aptæ. Si autem infortunis applicuerit, erunt rebelles, & suos uiros odio habebunt. Nam si Luna ad Saturnum applicuerit, uel fuerit in dignitatibus eius, erit uxor eius laboriosa, & praua ac mala, ipsiusq; qualitates erunt feroces & crudeles. Si Luna ad Iouem applicuerit, erit conueniens & idonea, ac doctæ dispositionis. Si Luna Martem applicuerit, animosa erit, & indomita. Si Veneri, erit formosa ualdeq; iocosa. Si ad Mercurium, erit boni intellectus, uel si cum Saturno, Ioue, uel Mercurio Venus extiterit, cum his quæ ad uitam pertinent, erit satis utilis marito, & proderit ei. Sed si cum Marte fuerit, erit deuastatrix bonorum uiri, ac instabilis & non intelligens.

In Matrimonio foemellarum, considera Solem, qui si in quarta orientali reperi-  
tus fuerit, in iuuentute uiro desponsabitur, uel in senectute maritum iuuenem accipiet.

piet,